



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa


De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus, Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia - Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1678**

Praefatio Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9929**



## PRÆFATIO AD LECTOREM.

1. **O** TII Monastici, benevole Lector, rationem reddere incipio, cum hanc meam de divina Psalmidia lucubrationem typis evulgo. Scio quidem hac ætate eruditissima scribentibus multa à multis imminere judicia, multas parari censuras: sed recordatus sum cum <sup>a</sup> D. Hieronymo illius versiculi, <sup>b</sup> *Pollio, & ipse facit nova carmina;* meque cum aliis plerisque tenuit, & corripuit juxta <sup>f</sup> Satyrici dictum insanabile scribendi cacoëthes: cum præsertim docuerit me vir magnus <sup>d</sup> Ennodius Ticinensis, non minùs de otioso silentio reddendam esse rationem, quàm de otioso sermone. Sed istis paginis, inquires, quid erit loci post tot sanctissimos Patres, post tot doctissimos viros, qui de divinis Officiis uberrima nobis Commentaria reliquerunt? An non hanc Spartam satis superque exornarunt, qui viri, & quam eximii. Isidorus Hispalensis, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Rupertus Tuitiensis, & alii innumeri tum veteres, tum recentiores? Ornarunt illi quidem, & Ecclesiasticæ functionis Sacramenta operosissimis scriptis illustrarunt. Sed an ideo sequi pudet, quia illi præcesserunt? Nunquid, ut verbis utar <sup>e</sup> D. Hieronymi; aut Tertullianus B. Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à scribendo? Divina eloquia, inquit <sup>f</sup> Chrysostomus, fonti similia sunt largis perennibusque fluentis scaturienti. Qui ante nos fuere, pro viribus suis aquas inde hauserunt: & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt;

<sup>a</sup> Hieron. præf. lib. 3. in Oseam. <sup>b</sup> Virg. Ecl. 3. <sup>c</sup> Juvén. Sat. 7. <sup>d</sup> Ennod. præf. carmina. 9. <sup>e</sup> Hieron. prol. lib. 1. in ep. ad Ephes. <sup>f</sup> Chryf. hom. 3. in Genes.



Neque sic totum evacuare poterunt: sed magis interim augescunt flumina & crescunt. Rectè Romanus & Sapiens: Qui præcesserunt, non præripuisse mihi videntur, quæ dici poterant, sed aperuisse. Crescit in dies materia, & inventuris inventura non obstant. Præterea conditio optima est ultimi. Parata verba invenit, quæ aliter instructa, novam faciem habent: nec illis manus injicit tanquam alienis; sunt enim publica. Jurisconsulti negant, quidquam publicum usucapi. Et si concedamus omnia à veteribus inventa esse, hoc semper novum erit, usus & inventorum ab aliis scientia, & dispositio. Rectè item <sup>h</sup> Damascenus: Nonnunquam id, quod à perfectis relictum est, reperit puellus: & in id quod prætercursum est à sapientibus, incidunt idiotæ: & id quod occultatum est magistris, comparuit discipulis. Denique alius alio plura invenire potest, nemo omnia. Et sæpe juniore revelat Deus quod melius est, ait <sup>i</sup> Pater Monachorum.

2. Non fuit autem meum consilium post tot editos de sacris precationibus libros, malè recoctam, quod aiunt, cramben fastidioso hujus sæculi palato objicere: sed fiduciam mihi præbuit, aliquid de novo audendi, id, quod scribit <sup>k</sup> Augustinus libro primo de Trinitate, utile esse plures à pluribus fieri libros diverso stylo, non diversa fide, etiam de questionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Quod si dixerò me in his scriptis methodum servasse ab aliorum methodo prorsus diversam, magis libera vox erit, quàm superba. Confer, si placet, hunc librum cum cæteris, qui hæctenus de eodem argumento prodierunt, fateberis proculdubio neminem reperiri, qui omnes Divinæ Psalmidæ partes, mysteria, & disciplinam hac ratione explicarit. Possum au-

<sup>g</sup> Seneca ep. 79. & 65. <sup>h</sup> Damasc. orat. de defunctis. <sup>i</sup> Benedict. reg. c. 3.  
<sup>k</sup> August. lib. 1. de Trinit. c. 5.



Haec de stylo, & methodo hujus operis dicere, quod  
Phocas<sup>1</sup> Grammaticus de brevitare suae artis:

*Ars mea multorum es, quos saecula prisca tulerunt,  
Sed nova te brevitare asserit esse meam.*

Possum quoque<sup>m</sup> Paschasii Ratberti verba usurpare  
dicentis: Expositio mea multorum eruditissimorum  
est Doctorum, quos antiquior tulit aetas, & firmavit  
auctoritas veritatis, sed proprio commendatam stylo,  
novitas facit esse meam; ita ut tractatus qui de omni-  
bus colligitur, unus verè videatur, & specialiter esse  
meus. Siquid verè bene tractavi, malo id cum præ-  
dicto Phoca lectoris iudicio laudari, quàm mea  
jactari prædicatione. Simias enim ferunt, inquit  
<sup>n</sup> Synesius, postquam pepererint in foetibus suis  
tanquam simulachris obtutus desigere præ ad-  
miratione pulchritudinis; aded natura ejus amans  
est, quod peperit: quamobrem aliis permittenda est  
in sobolem inquisitio. Ob id Lyfippus Apellem ad  
tabellas admittebat, & Apelles Lyfippum. Porro si  
quid peccatum in hoc opere est, (& sanè plurima  
peccata sunt) meum est: si quid bonum, si quid laude  
dignum, non meum, sed alienum est.

3. Ex scriptis probatissimorum Auctorum pleraque  
meo stylo elicui, illud<sup>o</sup> Poëtae sequutus.

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,  
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.*

Nonnulla ut apud ipsos sunt admiscui, ut quod ait  
Bernardus, ex vasculorum pulchritudine gratiora  
fiant, quæ in eis lectori apposuerim. Nec mihi vitio  
vertas (verba sunt Theodosii<sup>q</sup> Macrobiani ad Eusta-  
chium filium) si res, quas ex lectione varia mutua-  
bor, ipse sæpe verbis, quibus ab ipsis auctoribus enar-

<sup>1</sup> Phocas proëmio de nomine & verbo. <sup>m</sup> Pasch. præf. lib. 6 in Matth.  
<sup>n</sup> Synes. epist. 1 Lapsus est memoria Synesius, nam Lyfippum pro Protogene  
posuit. <sup>o</sup> Lucret. lib. 3. <sup>p</sup> Bern. serm. 3. sup. Missus est. <sup>q</sup> Macrobiani præf.  
Satius.



rata sunt, explicabo: quia præfens opus non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur. Afranius <sup>r</sup> togatarum scriptor, (ex cuius fabulis exempla sæpius afferunt in suis grammaticis institutionibus Sosipater Charisius, & Nonius Marcellus) in ea togata, quæ Compitalia inscribitur, non invecundè respondens arguentibus, quod plura sumpisset à Menandro: Fateor, inquit, sumpsi, non ab illo modo, sed ut quisque habuit, quod conveniret mihi, quodque me non posse melius facere credidi, etiam à Latino. Plautus, Cæcilius, Terentius, & cæteri eloquentes viri, teste <sup>r</sup> D. Hieronymo, non solùm versus, sed multa capita acceperunt ab Antiquis. Quare Terentium Luscius Lavinius criminabatur quasi publici ærarii furem: Virgilius compilator veterum dicebatur: Tullius quoque, qui in arce eloquentiæ Romanæ stetit, Rex Oratorum, & Latinæ linguæ illustrator, repetundarum accusabatur à Græcis. Ipse Homerus, ut Eustatius in Odiseam scribit, furti arguitur à Naucratis, quod profectus in Ægyptum, Iliadem & Odiseam sibi adscripsit, quas ibi reperit in templo à quadam Poëtria jam pridem decantatas. Apollodorus citatus à Laërto, Si quis, inquit, eximat de Chryssippi scriptis quæ aliena sunt, vacua charta relinquetur. Extrat Stephani Forcatuli J. C. elegans Dialogus, qui Prometheus, seu de raptu animorum, inscribitur, alienæ inventionis prædones incessens. S. Ambrosii scripta, ut D. item <sup>r</sup> Hieronymus refert, Origenis sermonibus plena sunt; Exaëmeron autem ex Basilio compilavit. Recentiorum libri quid aliud plerumque sunt, quàm centones è pulchrioribus Antiquorum dictis? Secunda pars Theologicæ Summæ D. Thomæ magna ex parte legitur in

<sup>r</sup> Afran. apud Macrobi. lib. 6. Sat. cap. 1. <sup>r</sup> Hieron. præf. lib. 1. in Michæam & præf. q. 1. seu traditionum Hebræic in Genes. <sup>r</sup> Idem initio Apolog. ad Pamach. & ep. ad eundem de errorib. Origenis.



Speculo Morali Vincentii Belvacensis. Plura capita A. Gellii transcripsit Macrobius. In Eclogis Calpurnii & Nemesiani iidem quandoque versus leguntur, quos alter alteri sublegit. Si ab Aristotele aliena demantur, qui Phœnix videtur, Cornicula apparebit, furtivis nudata coloribus. Plato se reum furti audivit accusari, quod magnam partem Philolai transtulerit in Timæum. Alia veterum Scriptorum furta recensent, eleganter ex Græcis <sup>u</sup> Clemens Alexandrinus, & Eusebius Cæsariensis: ex nostris autem Aurelius Macrobius, Augustinus Engubinus, & Ludovicus Cresolius. Si quispiam novus Archimedes adesset nobis, qui proprium, & alienum in libris discerneret; si iudicem haberemus Aristophanem, qui mortuorum linguam intelligeret; cum loquuntur per ora vivorum: Si Cratinum, qui libros torqueret, ut latrocinia confiterentur; quot in re literaria fures inveniremus? Texunt plerique libros, sicut ferta ex variis floribus, *Miranturque novas frondes, & non sua poma.* Pauci possunt cum <sup>x</sup> Manilio dicere:

*Nostra loquar: nulli datum debebimus orsa,*

*Nec furtum, sed opus veniet.*

4. Ab hoc autem communi vitio haud immunis ego sum: quod ultrò & ingenuè fateor, ne me quispiam accuset, & lege Julia peculatus damnandum censeat, si hemistychium aliquod, vel integrum versus, sive sententiam probati alicujus Scriptoris meis carminibus, & scriptis immixtam videat. Vix enim fieri potest, ut quis eruditum aliquod argumentum pertractet, quin vel invitus è veterum monumentis plura transcribat. Porrò negant <sup>y</sup> Jurisconsulti eum damnari debere, qui pecuniam publicam acceperit, si postea erogaverit. Ligna quidem, & lapides ad hanc

<sup>u</sup> Clemens Alex. 6. Strom. Euseb. lib. 10. præp. Evang. Macrobius 5 & 6. Sat. Eugub. de perenni Philosoph. Cresol. Theatri Rhet. lib. 5. c. 9. <sup>x</sup> Manil. Astronom. lib. 2. <sup>y</sup> ff. ad l. Juliam pecula. l. 4.



structuram ab aliis accepi: at ædificii forma, & constructio mea est. Sanctorum verò Patrum, & antiquorum sententias fideliter ex fonte excerpfi, rivulorum perosus impuritatem. Verba tamen scrupulosè non sèctor, dum sensus integer maneat. Nam & Apostoli in citando veteri Testamento, aliquando & media intersecant, & ex pluribus locis unum conflant, ut <sup>z</sup> Hadrianus Papa, Leo Castrensis, & Franciscus Ribera doctè observant.

5. De stylo nihil habeo, quod præfari oporteat: possum autem cum <sup>a</sup> Cassiodoro humilem verecundè promittere, mediocrem non improbè polliceri. Sacræ doctrinæ profanam conjungere eruditionem, ubi necesse fuit, non dubitavi, præclarissimorum Ecclesiæ <sup>b</sup> procerum insistens exemplo. Sapiencia enim vocat ancillas ad arcem, & gentilis puella in conjugium assumitur à Judæo. A malis etiam Scriptoribus aliquando abstinere non potui, <sup>c</sup> Senecam imitatus, qui volens Publicum Mimum citare, ait: Nunquam me in bona re mali pudebit auctoris. Librum in capita, capita in paragraphos subdivisi, quia ut monet <sup>d</sup> Fulgentius, lectoris renovat studium temperies distincta librorum. Et sicut labor viatoris hospitio, ait Augustinus, ita libri termino reficitur Lectoris intentio.

6. De singulis Officiis, eorumque partibus non eadumtaxat, quæ ad Historiam pertinent, sed symbolicas insuper rationes, & asceticam doceo disciplinam. Ascetas autem illos vocant Philosophi, qui solidarum virtutum exercitationibus incumbunt: quare Patres Græci Monachos Ascetas, & Monasteria Asceteria, atque tractatus de virtutum exercitatione Asceticos nuncuparunt. Quæ omnium scriptis evulgata sunt,

<sup>z</sup> Hadr. l. ep. 3. pag. mihi 740. Leo in c. 8 & 9. Isaiz. Riber. in c. 13. Osee n. 33.  
<sup>a</sup> Cassiod. præf. lib. 1. Variar. <sup>b</sup> August. de doct. Christ. lib. 2. c. 18. & 40. Nazianz. orat. 10. <sup>c</sup> Sen. de Tranquil. cap. 11. <sup>d</sup> Fulg. inf. lib. 1. ad Monimum. <sup>e</sup> Aug. inf. lib. 1. con. adver. legis, & Prophet.



prætermisi quandoque, quia operæ redundantis est, cunctis nota replicare: atque omnia persequi velle, aut nimix miserix, aut inani jactantiæ adscribi solet. <sup>f</sup>

7. Solutæ orationi quædam Poëmatia intermiscui vario carminum genere, ut si minus à stylo, saltem à versuum varietate placerent. Laudem ab istis non quæro. Licet enim scribat <sup>g</sup> Cicero neminem se Poëtam cognovisse, qui sibi non optimus videretur: novi tamen ego, quam sit mihi curta supellex, & jure cogor mirari cum <sup>h</sup> Satyrico, quomodo fieri potuit, ut sic repentè Poëta prodirem. Ignosce Lector, cum possem culpa carere, malui hanc deprecari; id nimirum exigente genio meo, cui in hac re non obsequi, & si voluissem, non valuissem. Adde, quod & rationem Divinarum Laudum sequutus sum, quæ Hymnis constant, & prosa. Neque tamen fortuitò in Poëticos passim sonos erumpo, sed ibi duntaxat, ubi forma quædam subest, vel materia Poëticæ. Miscere verò Poëtica Philosophicis docet me, teste <sup>i</sup> Ficino, omnis antiquitas, idque olim è Græcis usitatum asserit <sup>k</sup> Cicero in Tusculanis. Idem permittunt, & laudant <sup>l</sup> Plutarchus, Jamblicus, Plinius, & ex nostris Pacianus, atque Ambrosius. Nec desunt exempla: nam prosæ versus miscuere doctissimi viri Valerius Martialis, Status Papinius, Decius Ausonius, Lucianus Samosatenus, Theodorus Prodromus, Petronius Arbitrator, Fulgentius in Mythologiis quicumque ille sit, Martianus Capella, Severinus Boëthius, Valerius Probus, Phocas Grammaticus, Curius Fortunatianus Rhetor, Junius Moderatus Columella, Sidonius A-

<sup>f</sup> Simmach. lib. 6. ep. 32. Plin. lib. 7. c. 37. <sup>g</sup> Cic. 5. Tuscul. <sup>h</sup> Persius init. Satyrar. <sup>i</sup> Ficin. lib. 3. epist. ad Barto. Fontian. <sup>k</sup> Cic. 2. Tuscul. <sup>l</sup> Plur. comm. Quomodo adol. Poëtas audire debeat. Jambli. lib. 2. de vita Pythag. c. 3. Plin. junior. lib. 7. ep. 9. Pacian. ep. 1. adv. Novatianos. Ambros. lib. 3. de hie ad Gratian. cap. 12



pollinaris, Venantius Fortunatus, Ennodius Ticinensis, Marcus Varro in Satyris Menippæis, Seneca in ludo de morte Claudii, & multi recentiores. Si quis autem à Poëticis alienus fuerit, Poëtica non legat; ea enim ratione composita sunt, ut sine dispendio cæterorum omitti possint.

8. Dicam ego de hoc libro, quod <sup>m</sup> Chrysoftomus de suis sermonibus: Licet omnes non legant, pars saltem dimidia leget. Quod si nec dimidia quidem portio legerit, vel tertia pars. Quod si nec tertia, nec quarta, sint saltem decem. Quod si nec decem, saltem quinque. Quod si nec quinque, unus saltem. Et si nec unus, mercedem tamen perfectam pro meo labore, & bona intentione accepturus sum. Dicam cum Christiano <sup>n</sup> Druthmano Monacho: Ego nulli nolenti iussero, aut legere aut habere hunc librum, sed qui voluerit: & si aliquis hunc detestetur, ordinet meliorem, & ego voluntariè ipsum suscipio, nam iste nihil ulli nocet. Dicam & cum Apendio Citharædo, atque cum Hismenia tibicine quorum præclari viri mentionem faciunt, Novi intus mihi ipsi, & Musis canere. Mihi soli scripsi, mihi scenam struxi. Sufficiunt mihi pauci lectores, sufficit unus, sufficit nullus. Dicam tandem cum Valerio <sup>o</sup> Martiali.

*Si nimius videns, seraque coronide longus*

*Esse liber, legito pauca, libellus ero.*

Vale, mi Lector, & si quid ex hujus libri lectione profeceris, Deum lauda, & ora pro me.

<sup>m</sup> Chryf. tom. 1. hom. de Paradis, & Scripturis. <sup>n</sup> Druth. prol. in Matth. Ambros. præf. in Psalm. Hieron. ib. 2. adv. Ruffin. c. 8. Dio Chryf. or. 78. Seneca ep. 7. <sup>o</sup> Martial. init. lib. 10.